



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Thamesim, Flvvivm Londinensem. Alios Fluuios alij poëtæ suæ quisque patriæ nobilitarunt: magna Ghibbesium tenet spes itidem illustrandi suum.
Ode VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Concinent posthac : nequè Thressa ceteret
Chorda Britannæ .

O virum felix, & opima rerum
Albion, sedes placitura Musis !
O poli sidus mihi, quò remotam
Dirigo puppim !

AD THAMESIM,
FLUVIUM LONDINENSEM.

*Alios Fluvios alij poëta sua quisque patriæ nobilita-
runt : magna Ghibbestum tenet spes itidem
illustrandi suum .*

O D E VIII.

P Actolum nequè pes auri, nec flammea Solis
Tam vehit Eridanum
Rheda per ora virum, Tiberimquè potentia Martis ,
Quàm benè vatis opus .
Vatis lingua, sacrum : binas creat illa sorores :
Matris ad obsequium
Nuncia fama uolat, parili se gloria nisu
Tollit in astra comes ,
Ocyùs & ventis, & fulguris ocyùs igne .
Hic adamante ligant
Nomina perpetuo, fugitivi nescia secli ,
Quæ vetuère mori ,
Seu rerum, seu digna hominum . Miraculà septem
Sic resoluta vigent .
Heròasquè etiam, mortalia corpora pridem ,
Axe Cumcena beat .
Smyrnæi sed enim quis sciret stagna Meletis ,
Tu nisi Homere fores ?
Tu nisi, Homere, secas fontes rixantibus, arent
Et Chios, & Salamis .
Et sua Dircaum librârunt carmina cyncum ,
Et sua Minciaden .

Aufi-

Aufidus, atquè Salo proprijs creuère poëtis,
 Vrbs vt Echionia .
 Rhenus itèm, Ligerisquè vagus, nec limpìdus ante
 Vistula Sarbiniu .
 Te quoquè clarabit, vates cognomine dicar
 Si Thamefinus ego :
 Quantùm non Luddus fortassè, vel Indica merces
 Haftenùs obrinuit .

CAROLO PORTERO
 DE FIGVEROA, ALVMNOSVO.

*Cum dolore capitis afficeretur ex nimis curiosa ESCV-
 RIALIS disquisitione . Vndè Basilica describitur ,*

O D E I X .

CRedebam temerè : iam leuibus fidem
 Addixisse pudet, CAROLE, fabulis .
 Pressæ pondus inest grande scientiæ,
 Rerum fertquè catus non nisi sarcinam .
 Addixisse piget . Me duce, culmina ,
 Aeternosquè lares, fanaquè cum tholis
 Aurata, æthereis æmula sedibus ,
 Lustrantem faciles marmoreo solo
 Et calcasse vias iuuat, iaspidis
 Et pressisse gradus vndiquè turgidos .
 Atquè hinc Palladij feruidus eloquũ
 Scandis dadaleis scalpta laboribus
 Graijs tecta viris, & Latiam domum ,
 Hic voluisse libros, hinc laquearia ,
 Pileta imparibus ficta scientijs ,
 Hic sphæras duplices, Austriacam & pharon ,
 Quæ sensit globulos bellica Turcicos
 Victrix ; hinc veteres cœlituum manus ,
 Quantas relliquias ! cœlituum manus ,
 Augustine tuam, docta Teresa ,
 Mirariquè tuam, monstraquè Nerei .

Ar-